

DE
SASSAPARILLÆ RADICE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHARMACOLOGICA

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN
ALMA UNIVERSITATE LITTERARIA
TURICENSI

UT SUMMI
IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE
OBSTETRICA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIV. MARTII ANNI MDCCCXXXV

PUBLICÆ DEFENSURUS EST

RUDOLPHUS HUNZIKER
HELVETO-CULMENSIS.

TURICI
TYPIS ORELLII, FUESSLINI ET SOCIORUM
MDCCCXXXV.

17
SASSAPARILLA W. RADICE.

DISSECTED AND CUT
PHARMACEUTICAL

OF THE
PREPARATION OF THE

ALMA MATER OF THE LITERARY
FACULTY

IN MEDICINE, GYNECOLOGY, AND
OBSTETRIC HONORS

THE NEW YORK AND BROOKLYN

PHARMACEUTICAL

THE

NEW YORK

VIRO CLARISSIMO, SAPIENTISSIMO

D^R P. V. J. TROXLER

**IN UNIVERSITATE LITTERARIA BERNENSI PHILOSOPHIAE
PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO**

HASCE LITTERARUM PRIMITIAS

EX ANIMI VENERATIONE

CONSECRAT

AUCTOR.

CAPUT I.

ENUMERATIO ET BREVIS PLANTARUM DESCRIPTIO, E QUIBUS
SASSAPARILLAE RADICEM ACCIPIMUS.

Radix Sassaparillae (*Sarsaparillae*, *Salsaparillae*, *Sarsae*, *Zarzae*) auctore Linnaeo a Smilace Sassaparilla¹⁾, planta in Virginia et Mexico domestica, oritur; auctore Humboldto a Smilace syphilitica²⁾, quae in America meridionali reperitur; sed auctore Willdenovio a Smilace officinali³⁾, quae in eadem meridionali America et praecipue in Nova-Granada crescit. Temporibus novissimis exploratum est, omnes tres, quas nominavimus, plantas et alias quoque generis Smilacis species Sassaparillam proferre⁴⁾.

Genus *Smilax* (germ. *Stechwinde*) secundum Linnaeum ad ordinem sextum vigesimae secundae classis (Dioecia Hexandria) pertinet; Jussieus id refert in familiam Asparagorum, Geigerus in familiam Smilacearum et Sprengelius in familiam Sarmentacearum. Ejus Character botanicus

-
- 1) Hagen's Lehrbuch der Apothekerkunst, I. p. 500.
 - 2) Geiger's Handbuch der Pharmacie, II. 2. p. 1728.
 - 3) Willdenow's Anleitung zum Selbststudium der Botanik, herausgegeben von Dr. Alb. Dietrich, Berlin 1832, p. 500.
 - 4) Auctore Hollio (Trommsdorff's neues Journ. Bd. 12. Stück 1. p. 115) in Italia radices Smilacis asperae (foliis hastato cordatis lanceolatis 7—9 nerviis, aculeato dentatis coriaceis, baccis rubris, Spreng.), in Europa australi etiamque in Syria crescentis plantae, sub nomine Sassaparillae italicae usitatae sunt.

hic est: „flores dioici, corolla sexpartita persistens, stylus brevissimus, stigmata tria, bacca sub-trisperma.”¹⁾

Quas supra nominavimus tres generis *Smilacis* species, eae in Linnaei systemate vegetabilium curante Sprengelio (pag. 100) sic describuntur:

1. *Smilax Sassaparilla* L.²⁾, sub-4gono, aculeis incurvis, foliis ovato-lanceolatis, cuspidatis, inermibus sub-5 nerviis, subtus glaucescentibus.

2. *Smilax syphilitica* Humb.³⁾, aculeis caulinis, raris, validis foliis oblongo-lanceolatis cuspidatis coriaceis trinerviis.

3. *Smilax officinalis* Kunthii, foliis cordato-oblongis acutis, coriaceis, 5—7 nerviis, venoso-reticulatis.

Summatim hae tres species in signis sequentibus sibi consentiunt: sunt frutices, quorum radix efficit rhizoma, quod perlongas radices fibras diametri diversi agit. Caulles sunt adscendentes, cirrhis instructi; folia partem pedem longa, integra; flores, quantum novimus, parvi, albidi, axillares, umbellis pedunculatis.

CAPUT II.

PHARMACOGNOSTICA, COMMUTATIO ATQUE ADULTERATIO HUIUS RADICIS.

Per mercaturam diversas *Sassaparillae* radices species accipimus, quas omnes hoc loco commemorabo et describam:

1. *Sassaparilla Verae-crucis*. Ea his quoque cognominibus venum datur: della Costa (a littore); Tampico

1) Caroli Linnaei Syst. veget., editio XVI. curante Spreng. Göttingae 1825. Vol. II. p. 9.

2) Blackwell t. 393.

Plenkii plant. med. t. 712.

3) Berl. Jahrb. für die Pharmacie 1806 t. 1.

(urbis et fluvii nomen in provincia Mexico); du Mexique (ut nonnunquam Francogalli eam nominant). E Vera-crucis in magnis sarcinis, quae circiter 100 vel 150 pondo continent, funibus tantum injectis, et quidem cum rhizomatibus atque fibris, quales e terra prodeunt, et saepe cum caulibus perlongis, quibus aculei validi insunt, dimittitur. Magna copia Europam importatur et praesertim in Francogallia frequenter consumitur. Quum in regione, ubi colligitur, non eadem, quae aliis speciebus officinalibus cura ei adhiberi videatur, profundi ejus sulci, qui in longum porriguntur, humo impleti sunt; immo saepe totae glebae inter rhizoma et fibras reperiuntur. Humus adhaerens fibris adspectum nigricantem e cano affert, qui si abluitur color epidermidis sordide flavus apparet, vel albido-vel rubeolo-flavus, in qua saepe multi insectorum ictus animadvertuntur. Medullae similis substantia corticalis fusca, saepe cornea, interdum destrecta, ut multis locis tantum intima pars lignosa adsit; saepius etiam condensatio aegrotata substantiae corticalis et humoris vestigia, quo radix laesa est et texturam commutavit, reperitur. Sordide cana, saepe etiam subfusco-alba pars intima numerosa tracheae vasa (raro tantum ambo vasa scalaria), quae orbem fuscum formant, ostendit.

Sassaparilla Verae-crucis subamaro, paullo ingrate irritante et simul salso gustu est. Iodina fibras tenues plerumque tantum fuscas, crassiores autem saepius atro-coeruleas tingit. Infusum aquosum tincturam sub-fuscam offert, quod ferrum muriaticum oxydatum non insigniter, gallarum tinctura minime turbitat.

2 et 3. *Sassaparilla*, quam ex *Honduras* et *Caracas* accipimus. Hae duae species plerumque in sarcinis quadrangulis vel rotundis, supra et infra pellibus obductis, adveniunt et fascies oblongos 4 ad 8 pondo vel plurimum continent. Hae fascies ex pluribus radicibus integris constant, quae jam in patria humo adhaerente purgatae esse

videntur. Quibus radicibus rhizomata partim integra partim fissa, saepe partes tantum sicut etiam fibrae tenuiores insunt. In interiore fascium parte plerumque nigricantes et macrae radices continentur, exterius autem pulcherri-
 mis et crassissimis fibris colore claro glomerate circum-
 textum est. Harum specierum duarum fibrae sunt longae partim nigro-canae, partim sub-fuscae, colore claro, gib-
 bis rubeolis praeditae, interdum quoque languide rubeolo-
 fuscae, vulgo cylindricae majoribus vel minoribus sulcis, pennae caule corvi usque ad anseris crassae. Radicis
 persectae regularia tracheae vasa apparent, orbem fus-
 cum circa centrum formantia. Meditullium album, pler-
 umque quasi languide rubeolo aut sub-fusco colore ad-
 flatum.

Inter Honduras- et Caracas-Sassaparillam, quod ad
 externam formam pertinet non magnum est discrimen,
 nisi quod priori nigro-canae radices frequentiores esse
 videntur. Discrimen verum in diverso infusi aquosi
 frigide parati colore et in gustu quodam modo dissentiente
 quaerendum est; nam reagentium chemicorum actionis
 discrimen non magni est momenti. Ambarum radicum
 gustus ingrate quidam irritans et subamarus, tamen Hon-
 duras-Sassaparillae levior est, nec nisi per aliquod tempus
 masticatur, sentitur. Infusum aquosum frigide paratum
 ac parum tinctum Caracas-Sassaparillae ferro muriatico
 oxydato et tinctura gallarum non insigniter mutatur;
 Honduras-Sassaparillae vero valde rubro-fuscae tinctum,
 in quo ferrum muriaticum oxydatum tenuissime fere inob-
 servabili modo turbidat, Gallarum tinctura minime (con-
 tra infusum aquosum fere aquae limbiae instar pellucens
 interioris rhizomatis Honduras-Sassaparillae ferrum muria-
 ticum oxydatum luteoglaucè et turbidissime tingit, galla-
 rum vero tinctura minime). Ceterum Iodina harum radicum
 duarum corticem nigre tingit.

4. *Sassaparilla brasiliensis*, vulgo *lisbonensis*. Per

urbes Rio de Janeiro, Para et Bahia adportatur. Nomen Lisbonensis inde ab eo tempore accepisse videtur, quo Lisbona mercaturae brasiliensis monopolium habuit. Fibrae plerumque rotundae, linearum $1\frac{1}{2}$ usque ad 3 diametro, neque curvae (quaedam fibris secundariis praeditae) sunt. Epidermidis color fuscus, saepe etiam candicanter e rubro fuscus aut nigricante-canus. Quo medullosiores fibrae sunt, eo magis rugae prosiliunt. Radices bene alitae rotundae, in superficie paene laeves, quarum cuticula tenuissima est. Haec species majore cura tractata videtur; nam in univ-
ersum inter has plurimae fibrae optime alitae, compactae, graves, rotundae reperiuntur, quae omnino albam medullae similem substantiam corticalem continent. Quarum in cylindro similes fasciculos pedum $4\frac{1}{2}$ longos atque pollicum 3 ad 12 crassos, 30 ad 70 pondo graves colligendarum ratio qui ab imo ad summum orbibus aut pampinis circumvoluti sunt, prae omnibus ceteris conspicua est. Saepe vero frantulendo modo radices malae et valde fibrosae in medio inveniuntur, idem rhizomata, in quibus fibrae usque ad 3 digitorum longitudinem relinquuntur, ut hac forma melius in fasciculos condantur. Gustu omnino Sassaparillae-Caracas consentit, nisi quod astringentior et amylo similior. Quod ad chemicorum reagentium efficientiam in infusum aquosum maxime rubro-fusce tinctum pertinet, omnino Hondurae similis est.

5. *Sassaparilla Jamaicae*. Ea potissimum in Britannia consumitur, quia ex anglicis Indiae occidentalis possessionibus venientes fructus minus portorii solvunt, quam quae ex aliis regionibus importantur. Est fibra valde porosa, levis, subamare et irritanter gustat et inprimis in crassis radicibus plurimis locis cavum medullae canalem habet. Praeterea omnes fibras tenuiores secum fert, quum a Britannis efficientia simili cum fibris praecipuis judicantur. Ceterum recente adspectu humo deliberata, fusco colore nativo (magis fusco-rubra, quam specierum descriptorum)

est. Fibrae longae, epidermis rugosa, radicis persectae medium album apparet. Hanc radicem Iodina nigram tingit. Infusum aquosum valde rubro-fusci coloris a ferro muriatico oxydato non parum, a gallarum tinctura minime turbidatur. Britannorum ¹⁾ opinione haec species prae omnibus excellit.

Jam duas species commemorabo, quae non nisi tempore recentiori in mercatura inveniuntur, et quarum posterior omnino ex alia, quam ad genus *Smilax* pertinente planta oriri videtur. Ambae species nobis parum adhuc notae et quod sciam in nostris officinis non in promptu sunt:

6. *Sassaparilla Limae*, Non tam longa quam species superiores, e fibris macris et tenuibus constans, interdum scoparum sarmento similibus, in quibus paucae fibrae secundariae insunt. Color nativus subfuscus opacioribus striis. Cortex tenuis oblonge annulatus et circa partem intimam solide adstrictus, quae alba saepe etiam albido lutea, textura densa, fissilis. Rhizomata simili magnitudine, quae in aliis speciebus sunt caulesque crassos agunt. Reagentium chemicorum actionem et in hanc et in sequentem indicare nequeo, quum nullam hoc tempore accipere potuerim et omnino eae nondum satis disquisitae sint.

7. *Sassaparilla Indiae orientalis*, dicta *Nanary*, radix 15 Pollicis longa et 2—5 linearum diametro, cylindrica, ramosa, gibbosa, tortuosa, sulcis instructa, fissuris transversis atque incisuris, quae 2—5 lineas inter se distant. Rhizoma frequentes ostendit palmites caulesque, diversis ramulis tenuibus deficientes. Epidermis rubeolo-fusca, et

1) Vide disquisitiones a J. Pope adhibitae in: med. et surg. transact. XII. 2. p. 344.

Neue Sammlung auserlesener Abhandlungen, VII. 3. p. 458.
et a R. Battley in: the Lond. med. reposit. Feb. 1823,
No. 110.

In radice findenda facile a medullae simili substantia corticali sejungitur, quae dura, alba vel albido-lutea est. Ab ea pars intima lignosa diversis locis nutata est. Radicis olfactus dulciculae aromaticus, nec minus gustus, cui aliqua radicis Polygalae Senegae similitudo est. Vilitatis causa hac radice praecipue in Britannia utuntur. Nonne forsitan ex *Periploca indica* (Hemidesmo indico Rob. Br., *Periploca cordata* Poir., Pentand. Dig. L., *Asclepiad. J.*) acquireretur, quam medici indici pro *Sassaparilla* adhibent?

Summatim bonae *Sassaparillae* signa haec fere sunt: fibras pennae anserinae crassitudine, epidermide tenue, candidissima medullae simili substantia corticali et fusco orbe circa partem intimam praeditas esse oportet. Quo rugosior epidermis, eo macrior substantia corticalis; quo laeviores, rotundiores, crassiores et graviores fibrae, eo meliores. Masticata *Sassaparilla* bona subamare et ingrate irritantem, paullo adstringentem, amylo similem gustum habeat. Infusum aquosum frigide paratum non parum rubeolo-subfuscum tinctum sit, et radix, si aqua coquitur, non parum proprie fastidiosum olfactum edat. Bonae qualitatis signa praecipue in Lisbonensi *Sassaparilla* reperiuntur.

Radix *Sassaparillae* saepe *Araliae nudicaulis*, *Agaves americanae* et *Caricis arenariae* radicibus commutatur atque adulteratur¹⁾. *Araliae nudicaulis* radix (Pentandr. Pentag. L., *Araliaceae J.*) verisimilis est *Sassaparillae*, sed sulcis parum profundis et alba lenta ac lignosa parte intima deficiente dissentit. Principio dulciculae mucosum deinde amarum gustum habet et in America adhibetur.

1) Disquisitiones a Virey adhibitae, conferatur: Journ. de pharm. XI. p. 73.

a Jul. Fontenelle: Feruss. Bull. de sc. méd., Août 1825, p. 347. et a Robinet: Journ. de chim. méd. Août 1825. p. 213.

Agaves americanæ (Hexandr. Monog. L., Bromeliæ J., Liliaceæ, al.) validæ radicis fibræ sæpe nomine Sassaparillæ in mercaturam introducuntur. Proximæ rhizomatis pennæ caule crassæ vel crassiores lignosæ, nodosæ fibræ, quæ ut discedunt ab eo se attenuant, et in frequentissimos radiculos se dividunt. Hæ in exteriori parte tenui epidermite glauca, sub qua cortex violacea, laxa et fibrosa est, tecta. Intima pars lignosa est alba, lenta et fissilis ut Sassaparillæ. Olfactu et gustu caret.

Radicis *Caricis arenariæ* (Monoecia Triandria L., Cyperoideæ J.), quæ nonnunquam Sassaparilla germanica dicitur, hæc sunt signa: corvi pennæ caule sæpe etiam culmo crassior non est, plures pedes longa, dichotoma, ramosa, cylindrica et articulata radix, articulis unum fere pollicem longis, qui magnis, fibrose fissis, membranaceis squammis fuscis impleti sunt, et in extremo fibras breves agunt. Radix sicca exterior ad aspectum sordide canum præbet, interior album, cortex colore subfusco cincta et sub cuticula multa tracheæ vasa regularia ostendit. Magnopere lenta flexuosa et fissilis. Subaromaticum et balsamicum odorem, qui radice secta et aqua fervida infusa magis sentitur et gustum dulciculum atque irritanter balsamicum edit.

Porro Sassaparillæ aliae quoque radices subjiciuntur, ex. gr. radices *Asparagi officinalis* (Hexandr. Monog. L., Asparagi J., Asphodeli Brown.), quæ ex brevi et crasso rhizomate constant, quod ad libram se prolatat et cujus superiori latere caulium desectorum pars adest; latus inferius densum et partim pennæ caule crassis, perlongis fibris instructis. Radices siccatae sunt canae, molles, fungosæ, flexuosæ, interdum cavæ, ex paullo crassiore fungosa cortice tantum et tenui filiformi sublignosa cava parte intima constantes, olfactu carentes, sed gustu dulciculo, qui sensim amittitur, præditæ.

Tandem, quod tamen non amplius fit, cum radices

Humuli Lupuli (Dioclea, Pentandr, L., Urticeae J.) exolverunt, vel hac Sassaparilla dictae sunt. Ceterum, si supra allatorum signorum bonae et verae Sassaparillae diligens ratio adhibetur, aliarum radicum commutatio aut adulteratio facile perspicietur, praesertim quum reagentium chemicorum efficientia in radices suppositas ab ea diversissima sit, quae in Sassaparillae veris speciebus animadvertitur.

CAPUT III.

ANALYSIS CHEMICA.

Quod ad analysin chemicam pertinet, Cannobio et Pfaffius plane diversas summas effecerunt. Centum Sassaparillae partes constant

auctore Cannobio ¹⁾ ex:	auctore Pfaffio ²⁾ ex:
amara resina acre . . . 2,8,	resina balsamica 2,0,
extractiva materia gum-	extractiva materia acre 2,5,
mosa 5,5,	materia extractiva chi-
amylo 54,2,	nae amaro simili . . . 3,7,
ligni fibra 27,8,	materia extractiva vul-
90,3.	garis 9,4,
deficiunt 9,7.	extractiva materia gum-
	mosa 1,4,
	amyli vestigio
	materia albuminosa . . 2,2,
	ligni fibra 75,0,
	humore 3,0,
	99,2.
	deficiunt 0,8.

Geigero auctore praevalentes partes constituentes Sassaparillam materiae proprie acris et amarae atque amylium ³⁾.

1) Gmelin's Handb. der Chemie, 2. Aufl. II. p. 1574.

2) Paff's Handb. der analyt. Chemie. II.

3) Handb. der Pharmacie, II. 2. p. 1731.

Berzelio auctore *Sassaparilla aetherici olei* 100 pondo circiter *Unc. 1* continet ¹⁾; quod cum veteriore auctoritate, qua ex 45 pondo *Dr. 4* acceptae sunt, consentit ²⁾.

Galileo Palotta ³⁾ in *Sassaparilla* propriam materiam alkalina, *Parillinam* vel *Pariglinam* dictam, invenit, imminutae radici aquam fervidam identidem infundens, extractis calcis lac superflue attribuens, praecipitatum aqua acidum carbonicum continente tractans, siccans, coquente alkohole forti extrahens, extractum destillatione ab alkohole maxima ex parte deliberans et residuum leni calore (+23° R.) evaporans, ubi *Pariglina* praecipitabatur. Ejus proprietates sunt: pulverem album aëre immutabilem offert, olfactu proprio et gustu acri, amaro, subadstringente et fastidium creante. In aqua frigida insolubilis est *Pariglina*, sed paululum solubilis in fervida. In alkohole fervido facile, in frigido difficulter solvitur. Leniter alkaline reagit et cum acidis salia efficit, in ardore liquefit, tamen in majori temperatura deletur. *Plancheus*, *Pfaffius* ⁴⁾ et *Wittstockius* ⁵⁾ *Parillinam* efficere non potuerunt et igitur hujus materiae existentiam dubitavere.

Batka ⁶⁾ in *Sassaparilla* proprium acidum invenit, quod

-
- 1) *Fernere wissenschaftliche Beiträge zur Arzneimittellehre von Bischoff*, Bonn 1834, p. 582.
 - 2) *Kennzeichen der Güte und Verfälschung der Arzneimittel von van dem Sande und S. Hahnemann*, Dresden 1787, p. 28.
 - 3) *Giornale di fis.* Dec. II. Tom. 7. p. 386.
Journal de Pharm. X. p. 543.
Schweigger's neues Journal XIV. 2. p. 147.
Kastner's Archiv IV. 4. p. 439.
v. Froriep's Notizen X. od. No. 202.
 - 4) *Geiger's Magazin für Pharm.* Bd. IX. p. 140.
 - 5) *Schubart's Lehrbuch der theoretischen Chemie.* 3. Aufl.
 - 6) *Journal de Pharm.* November 1833.
Journ. de connaissances medico-chirurgicales, publié par MM. Trousseau, Lebaudy et Gouraud, Juin 1834.

Acide parillinique nominat, et in quo Sassaparillae efficientiam consistere existimat. In hydrati statu hoc acidum piscium squammis simile est, sed siccum resinae. Charta lacca musica imbuta ab eo rubescit, in alkohole, cujus post evaporationem chrystallisatum remanet, solvitur. Aqua frigida difficulter tantum, sed facile fervida solvitur, cui saponaceam spumae edendae vim praebet. Chloretum Calcariae et acida mineralia, ex. gr. acidum hydrochloricum, in floccis id praecipitant. Acidum nitricum sine ulla mutatione solvit. Cum alkalibus conjunctiones solubiles init, quae tamen non se crystallisant et quae omnes spumae edendae vim aquae impertiunt.

Ad hoc acidum producendum, Batka Sassaparillae extractum cum alkohole puro praeparat, id aqua fervida tractat, quae acidum parillanicum solvit, ad siccum evaporat, residuumque in acido muriatico solvit. Acidum parillanicum in floccos se sejungit, quod eluit et siccatur.

Folchi¹⁾ etiam ex Sassaparilla, decocto aquoso cum carbone animali tractando, luteolo-albam et crystallinam materiam separavit, quae in aqua frigida facile in alkohole difficulter solvebatur, violae succum viride tingeat, paulum tantum gustabat, sed ori irritantem vim adhibebat. Eam materiam Smilacinum nominat.

Ceterum in fine magnum errorem, quem omnes hic citati chemici committebant, commemorare debeo. Quorum nemo accurate Sassaparillae speciem, qua ad suas disquisitiones usus sit, declaravit, ex quo praesertim chemicarum analysium diversitas bene explanari potest.

1) Fernere wissenschaftliche Beiträge zu Bischoff's Arzneimittellehre p. 335.

CAPUT IV.

DE VI, USU, DOSI ET PRAEPARATIS AGITUR.

Sassaparillae radix inde ab XVI. seculo usurpatur et praesertim a Fordyceo ut remedium syphilidis et a Quarino ut efficacissima contra rheumatismum et arthritidem laudatur. De ejus vi, quam diu nota, contradictiones mirae in pharmacologorum operibus versantur. Dum alii remedium efficacissimum declarabant, cujus in syphilide magni esset opera, alii carice arenaria plane compensare existimabant, alii ne medicamentis quidem eam adnumerabant. Novis temporibus tamen re vera persuasum haberi videtur, Sassaparillam proprie efficax et omnino haud despiciendum medicamentum esse. Quare de nuo contra luem veneream¹⁾, ejus complicationes et mala sequentia, sicut contra cutis, quin canceri etiam articularum mala pertinacia, a Thomsonio, Sainte-Marie, Baylieo, Brisbaneo, Rustio, ut a Pradiero et Johnsonio contra rheumatismum et arthritidem comendata est.

Krausius Sassaparillam non valde laudat et contendit, eam, quidquid dicatur, specificè antisiphiliticam efficientiam non habere et quidem leniter-diaphoreticè efficacem esse, sed praesertim cum multo vehiculo calido adhibitam²⁾. Bischoffius dea dicit: paullo auctam cutis transpirationem et urinae secretionem efficit, et hac ipsa causa iterum ac saepius medicamentum omnino otiosum abjecta est. Attamen iterum ac saepius graviore vires medicatrices, quae ipsae nondum plane cognitum efficientiae modum sig-

1) Albers de praecipuis remediis antisiphiliticis Hydragryri loco commendatis. Berolini 1822.

2) Wissenschaftl. Uebersicht der gesammten Heilmittellehre von Dr. L. A. Kraus, Göttingen 1831, p. 548.

nificant, approbavit ¹⁾). Sundellinus ²⁾) et Vogtius ³⁾) vero bene de ea dicunt et Berendsius gravis ejus efficientiae auctor est.

Tot contradictiones de hujus medicamenti efficientia adhuc fuisse, verisimiliter ex variis in mercatura versatis speciebus, praecipue ex eo consequitur, ut prioribus temporibus pro Sassaparilla haberentur nonnullae radices, quae hodie progressionibus in pharmacognosia tam magnis bene discerni soleant. Quare nuperrime ejus vis medicatrix fere omnibus cognita est.

In universum Sassaparilla leniter irritantes, sed etiam tonicas proprietates habet. Vegetationem in cuti, in membranis serosis et fibrosis, veluti in systemate lymphatico mutat, ideoque in ipsis putridis et scorbuticis dyscrasiis et cachexiis non contraindicatur. Simul etiam in cutis transpirationem et urinae secretionem magnam vim exercit, et praesertim sonstitutionibus tumidis, vegetationibus et assimilationibus tardis, quae aliorum medicamentorum, praesertim sulphuris, hydrargyri et stibii conceptionem difficiliorem reddunt, praecipue adhiberi dicitur ⁴⁾). Auctore Hancockio ⁵⁾) Sassaparilla miro modo totum processum formativum auget, corpulentiam, cutem laevem et plane novum aegrotorum robur praesentibus cacoehymicis affectibus abeuntibus efficit. Ceterum nimia dosi adhibita nauseam facit. Hancockius hoc symptoma viribus cedentibus, torpori simile statu, commotionis odio et pulsu paullo retardato, apud aethiopem, cui uncias quatuor hujus radices dederat, observavit.

Parillina in Sassaparilla contenta auctore Palotta, si

1) Handb. der Arzneimittellehre, Bonn 1826, II. p. 263.

2) Sundelin Heilmittellehre. I. p. 397.

3) Pharmakodynamik. I. 1. p. 244.

4) Vogt's Pharmakodynamik I. 1. p. 244.

5) Wissenschaftl. Beiträge zu Bischoffs Arzneimittellehre p. 335.

in viscera concipitur, tardiores cordis pulsationem; constringendi sensum in toto oesophago, nauseam, stomachi infirmitatis et universam lassitudinem perficit. Ab initio grana duo hujus materiae sumi jussit et dosin usque ad grana tredecim auxit,¹⁾ ubi vomitum fecit. Palotta Parillinam in se ipso probavit, plures dies sequentes grana duo usque ad tredecim gradatim sumens. Ex effectu concludit, hanc materiam alkalina debilitantem atque contrastimulantem esse, praesertim in vasorum lymphaticorum systema vim exercere et jam in parvis dosibus Sassaparillae indicationibus respondere, quare praecipue in rheumatismis chronicis et in herpetibus inveteratis adhibendam esse.²⁾

De Parillinici acidi vi nihil scimus, inventione nimis nova nec experimentis ejus factis. Batka vero contendit id Sassaparillae elementum efficax esse. Smilacini a Folchio inventi actio item ignota.

Sassaparilla praesertim in syphilide inveterata et depravata, in chronicis rheumatismis, chronica arthritide et exanthematibus chronicis utuntur. Etiam in catarrhis chronicis adhiberi potest. Magni est ejus opera in iis vegetationis et reproductionis turbationibus ac abnormitatibus, quae ex chronicis morbis nervosis expl. gr. hypochondria inveterata, hysterismo gravi etc. prodire solent et modo in arthritis nervosae, modo rheumatalgiae, interdum morborum dermaticorum, exanthematum atque ulcerum formis apparent. Eandem vim exercet in chronicis metallo creatis veneficiis vel potius in morbis ex iis sequentibus praesertim si in systemate reproductivo ji se ostentant, expl. gr. in dyscrasia mercuriali. Hancockius eandem porro in scrophulosis, marasmo et consumptione universa laudat.

1) Bulletin des sciences médicales, Juin 1825, p. 154.

2) Allgemeine medizinische Annalen, Supplementband p. 127.

VI Dr. Ferrerius, Professor Chirurgiae Verceilis, quinque morborum historias refert, quae insignem Sassaparillae efficientiam in inveteratis morbis venereis atque hydrargyriasis formis confirmant. Decoctum saturatum ex Sassaparillae unciiis tribus paratum quotidie bibere et interdum simul aliquas radices pulveratae coffeae ligulas consumere jussit. In casibus pertinacissimis, in quibus hydrargyrum diu frustra, immo malo ingravescente adhibebatur, sanatio lapsis duabus summum duabus et dimidia mensibus finita erat ¹⁾. Hae observationes Doctoris Francinetii operis ²⁾ appendix haberi possunt, in quo magna Sassaparillae in illo morbo adhibendae utilitas praecipue laudatur.

Sassaparilla exterius adhibita auctore Hoffmanno ³⁾ remedium purgans solvens et discutens. Pradierus ⁴⁾ contra arthritidem exterius adhiberi commendavit et ejus cataplasma antarthriticum maxime Sassaparilla continetur.

Sassaparilla in decocto plerumque datur. Coquitur Uncia I—III cum aquae fontanae Unciis XVI—XXXVI ad Colaturae Uncias XXIV; haec potio quotidie bibitur. Radices pulveratae Drachma dimidia vel I—II bis vel ter quotidie rarius adhibetur, neque idoneum usus modum esse puto. Nuperrime infusum efficacius judicatur ⁵⁾ quin in Britannia jam ex aliquo tempore praeter decoctum, etiam frigido infuso aquoso calcis aqua parato utuntur, quam efficaces partes ex radice summa vi extrahere dicunt. Hoc consilio Sassaparillae Uncias IV cum radices liquiri-

1) Allgemeine med. Annalen 1823, p. 279.

2) Della Sassapariglia o del modo di usarla, Brescia 1819.

3) Hofmann's Arzneimittellehre, Leipzig 1829, p. 172.

4) Bischoff's Handb. der Arzneimittellehre II. p. 262.

5) Das Infus. Sass. soll dem Decoct derselben an Wirksamkeit weit vorzuziehen seyn; mitgetheilt von Apotheker Schmitt in Stuttgart, in dem med. Correspondenzblatt des würtemb. ärztl. Vereins. I. Jahrgang, No. 11.

tiae Unciam I in aquae calcis Liberas IV horas XXIV macerantur, ejus potionis octarius (= Unc. XVI) quotidie dosis usitata est ¹⁾. Battleyus ²⁾ etiam, aqua frigida in Sassaparillam infusa, partes efficaces extrahi existimat. Sed, si Parillina aut Acidum parillanicum efficax hujus radices elementum est, non aptissimum usus modum esse opinor. Si vero Smilacinum elementum efficax ducimus, Battleyus recte moneat. Optimum puto eandem hoc modo ordinare: Rec. rad. Sassapar. bras. Unc. II. kal. carbon. Scrp. II. aquae font. Unc. XII. macera per noctem, cola et exprime. Residuum eoque c. aq. font. Unc. XVI. ad Colaturae Unc. VIII., quae infuso frigide parato addenda et adhuc cui admisce sacch. alb. Unc. I. vel quant. suffic. ad gratum saporem. Haec potio quotidie et quidem quater per diem pars quadrans sumatur.

In pharmacopoliis nostris etiam extractum et Syrupus Sassaparillae paratur. Dosis quotidiana extracti: Dr. I., syrupi: Unc. I—Unc. II plerumque est. Ambobus medicaminibus ut adjuvantibus et vehiculis praesertim in hydrargyro adhibendo, et syrupus etiam ut corrigente uti possumus.

Acolae fluminis Orinoco ex Sassaparilla, saccharo aut melassa, etiam panis frusto et aliqua faece additis, et solis calori expositis, Sarsa-cerevisiam dictam parant, et in malis rheumaticis atque syphiliticis adhibent.

Praeterea Sassaparilla multorum praesertim contra luem veneream ejusdemque formas inveteratas adhibitorum medicaminum elementum est, quorum aliquae prius ut arcana valde admirationem moveunt. Hic omnia mihi nota enumerabo:

1) *Decoctum Quarini* ³⁾. A Quarino contra chronicum rheumatismum et arthritidem commendatum.

1) Hecker's litterar. Annalen, März 1826, p. 352.

2) Med. chirur. Zeitung 1824, IV. p. 394.

3) Bischoffs Arzneimittellehre II. p. 262.

2) *Decoctum lusitanicum*¹⁾. Murrayus in suo apparatu medicaminum omnino diversum hujus potionis parandae praeceptum affert, quocum

3) *Decoctum Sassaparillae compositum*²⁾ *Doctoris Allardi* magis consentit. Ambo ad syphilidem expellendam dantur.

4) *Decoctum Pollini*, hujus Richter³⁾ et Rustius⁴⁾ diversa praecepta commendaverunt.

5) *Decoctum Zittmanni*⁵⁾. Hoc medicamen jam maximam admirationem movit et ipse Chelius⁶⁾ id laudat. Krausius⁷⁾ ceterum dilectam latebram eorum, qui Syphilidi non penitus mederi possunt, nomiat.

6) *Decoctum antisiphiliticum Feltzii*⁸⁾ (*Tisane de Feltz*). Quod in Ludovici Hospitio Parisiis dilectum est remedium et Professor Casperus Berolini in formis inveteratis prosperrime aliquoties eo usus est.

1) Med. chir. Pharmacopöe aus dem Englischen, Weimar 1824, p. 51.

2) Neues practisches Spitalrezepttaschenbuch von Dr. C. L. Elsaesser, Tübingen 1831, p. 100.

3) Spezielle Therapie, V. p. 316.

4) Helkologie. 2. p. 160.

5) Rusts Magazin Bd. 13. p. 68: Ueber das Dec. Zittm. von Dr. J. Buttner; ferner über die Wirksamkeit des Dec. Zittm. beim Beinfress von Dr. Graefe, im Journ. für Chirurg. Bd. 9. Stück 1. p. 159—166.

Decoctum Zittmanni emendatum reperitur in: wissenschaftliche Beiträge zu Bischoffs Arzneimittellehre, Schlussnachträge p. 583.

6) Ueber die Anwendung des Dec. Zitt. etc. von Chelius in den Heidelberger clinischen Annalen. Bd. I. p. 147.

7) Wissenschaftl. Uebersicht der gesammten Heilmittellehre, p. 549.

8) Rust's Magazin Bd. II. p. 398.

Neues pract. Spit. Rezept. Taschb. von Elsaesser, p. 101. Geiger's Magazin, Sept. 1825, p. 302.

7) *Decoctum antisyphiliticum Dr. Struvei*¹⁾. Pilulis (*Pil. antisyph. Dr. Struv.*) conjunctum dare solet.

8) *Decoctum antisyphiliticum Cambierii*²⁾. Ejus residuum bene conteritur et venereis ulceribus imponitur.

9) *Decoctum antisyphiliticum Doctoris Sainte-Marie*³⁾, quod ut aqua mineralis bibitur. Sedecim vitrea, quidque unciarum sex, mane jejune tepida sumuntur, et quidem omni horae quadrante unum.

10) *Decoctum antisyphiliticum et Bocchetum de Vigaroux*⁴⁾. A Culleriero, Sainte-Marie et Renardo in inveteratis malis syphiliticis commendatum⁵⁾.

11) *Roob antisyphiliticum Laffecteur*, medicamen celebratum contra luem veneream, cujus vero diversa praecepta exstant⁶⁾.

12) *Syrupus antisyphiliticus (Sirop de Cuisinier)*.⁷⁾ Hoc remedium magis inter laicos vulgatum, cujus magna copia Parisiis utuntur.

13) *Syrupus antisyphiliticus Stevensii*⁸⁾. A Stevensio hic syrupus contra Syphilidem secundariam aliorumque morborum formas datur, quae hydrargyri usu in constitutionibus ad scrophulosin propensis oriuntur.

1) Allgem. med. Annalen, 1822, p. 1028.

2) Med. chir. Zeitung, 1821, IV. p. 196.

3) Heidelberger klinische Annalen, Bd. I. p. 127.

Hufeland's Journal 1824, Mai, p. 120-127.

4) Heidelberger klinische Annalen, Bd. I. p. 122.

Bischoff's Arzneimittellehre. II. 236.

5) Sainte Marie, über die Heilung veralteter venerischer Krankheiten, p. 119.

6) Bischoff's Arzneimittellehre. II. p. 237.

Pfaff, die neuesten Entdeckungen in der Chemie der materia medica. II. p. 96.

Allgem. med. Annalen 1822, p. 928.

7) Rust Magazin, Bd. II. p. 399.

Handb. für Pharmaceutiker, von Bouillon-Lagrange, aus dem Franz. Leipzig 1804, p. 116.

Journal de Chimie médicale, Oct. 1826, p. 506.

8) Med. chir. Zeitung, 1824, IV. p. 162.

14) *Syrupus antisymphiliticus Savaresii* ¹⁾. Prius valde occultabatur. Savaresius nomen syrupi antisymphilitici nimis breve putat, quia antiscrophulosam, antiherpeticam, antiscorbuticam, antirheumaticam, antispasmodicam, antipsoricam etc. vim ei esse monet et igitur eum nominat: *Syrupum extractivum sudorifero-depurativum!* —

15) *Guttae antisymphiliticae* ²⁾ (Rouener), quae non guttae nominandae sunt, quia cochlearibus cibariis sumuntur.

16) *Tisana sudorifica* ³⁾, in nosocomio Hôtel-Dieu dicto Parisiis usitata est.

17) *Decoctum antivenereum nutriens* ⁴⁾, quo in hospitaliis italicis utuntur.

Haec sunt omnia mihi nota medicamina, quibus Sassaparilla maxime continetur. Ejus usum homoeopathicum adhuc commemorabo:

Hahnemannius centum quadraginta quatuor ejus symptomata affert, quibus hujus medicaminis vim demonstrare tendit ⁵⁾. Medici homoeopathici in iisdem morbis, qui supra commemorati sunt et praesertim remedium antipsoricum utuntur. Ex una Sassaparillae parte et viginti vini spiritus tincturam parant ⁶⁾, cujus trigesies dilutae guttam ⁷⁾ dant; quae dosis infra quatuordecim dies repetitur, si frustra adhibita, quum Hahnemanni opinione trigesies dilutae tincturae gutta per dies quatuordecim efficax sit.

1) Allgem. med. Annalen, 1823, p. 571.

Heidelberger klinische Annalen, I. p. 117.

2) Berliner Jahrbuch. f. d. Pharm. 1818.

3) Neues pract. Spitalrecepttaschenb., von Elsaesser, p. 100.

4) ibid. p. 101.

5) Reine Arzneimittellehre, Bd. IV. p. 190 u. s. f.

Nachträge zu Hartlaubs und Trinks reiner Arzneimittellehre. II.

6) Dr. Caspari's homöopathisches Dispensatorium, herausgegeben von Dr. F. Hartmann. Leipzig 1834, p. 141.

7) Ein Tropfen der dezillionfachen Potenzirung (30 Verdünnung).

INDEX.

CAP. I.

	Pag.
Enumeratio et brevis plantarum descriptio, e quibus Sas-	
saparillae radicem accipimus	3

CAP. II.

Pharmacognostica, commutatio atque adulteratio hujus radice	4
---	---

CAP. III.

Analysis chemica	11
----------------------------	----

CAP. IV.

De vi, usu, dosi et praeparatis	14
---	----

T H E S E S.

I.

Omnis morbus est topicus.

II.

Status nervosus in phlogosisbus figmentum et commodus
practicorum ignorantium obtentus.

III.

Quamdiu Symptomata inflammatoria adsunt, tamdiu methodus
antiphlogistica adhibenda.

IV.

Venaesectio saepe optimum expectorans.

V.

Morbum absente febre nego.

VI.

Menstruatio morbus, graviditas sanitas.

VII.

Nervi non solum indirectae, sed etiam directae facultatem
sensibilitatis habent.

VIII.

Anima ex organisatione conficitur.

IX.

Terra intelligentia praedita.

X.

Vitae idea omnia comprehendit.
